

2/91

IDIBVS MAIIS

MCMXCI

VARIVS
TOR VARIVS I
VMOR VARIVS F
RVMOR VARIVS F

RVMOR VARIVS

RVMOR VARIVS
OR VARIVS
A Q T V W

TOMVS 14

FASC. 87

RVMOR VARIVS

RVMOR VARIVS a SOCIETATE LATINA
TVRICENSI in aedibus AKADis
editur.

RVMOR VARIVS sexies in singulos
annos editur.

Editio: CCCXXX

Pretium subnotationis: (annuum)

In Helvetia	Fr. 15.--
In Germania	DM 24.--
In Austria	öS 170.--
In ceteris	
Europae terris	Fr. 22.--
In terris trans	
maria sitis	US 18.--

Singula specimina qui rogaverit,
gratis accipiet.

Collegium redactorum:

Udalricus Aeschlimann
Dr. Emanuel Bernard
Dr. W. F. Ebel (AMICUS)
Barbara Maier
Martinus Meier
Daniel Weissmann

Impressum et dispositionem rerum
legentibus publicandarum curat:

C. Meier-Portner

Typographaeum:

Copy Quick, Zürich

Epistulae, mandata mittenda sunt
ad domum editoriam:

RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach
CH-8050 Zürich

Institutum pecuniarium:

Schweizerischer Bankverein
Zürich-Oerlikon
RVMOR VARIVS P7-642.719.0

RVMOR VARIVS wird von der SOCIE-
TAS LATINA TVRICENSIS unter dem
Patronat der AKAD herausgegeben.

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal
jährlich.

Auflage: 330

Abonnementspreis: (jährlich)

Schweiz	Fr. 15.--
Deutschland	DM 24.--
Oesterreich	öS 170.--
übriges Europa	Fr. 22.--
Uebersee	US 18.--

Einzelne Probenummern können
gratis bezogen werden.

Redaktionsteam

Ulrich Aeschlimann
Dr. Emanuel Bernard
Dr. W. F. Ebel (AMICUS)
Barbara Maier
Martinus Meier
Daniel Weissmann

Graphik und Layout:

C. Meier-Portner

Druck:

Copy Quick, Zürich

Verlagsadresse:

RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach
CH-8050 Zürich

Bankverbindung:

Schweizerischer Bankverein
Zürich Oerlikon
RVMOR VARIVS P7 642.719.0

PRÆFATIO



In arboribus ante domum meam septem nidos corvorum animad-
verti, nonnumquam noctu quoque cantus illarum avium per
viam sonat. Ubique flores et frutices rubros, flavos, var-
ios, qui migranti suaves odores afferunt, cernuntur. Radiis
calidioribus sol omnia tepefacit: Indicia certa veris ven-
ientis hieme fugato - paene fugato! Nonnumquam enim - velut
in hac imagine - per breve tempus redit hiems ultimam nivem
non diu manentem effundens.

Sed cum hunc libellum accipietis, cari legentes, certe ver
et Maius mensis amoenus regnabunt!

Valete!

D. Weissmann

Daniel Weissmann

De pugna Arminii

(relationis pars altera)

V. (1) Thusnelda, Arminii uxor et filia Segestis, nobilissimi Cherusci a nostris capta et, quod mariti rebus favebat, ad Colonnae castellum delata est. (2) duabus autem noctibus, antequam nostri proficiscerentur, in castello immolatum est, quo in sacrificio haruspices praesentiam Thusneldae militibus quintae decimae legionis perniciem futuram cognoverunt. (3) quo facto celeriter fit concursus in praetorium: legionarii milites, qui ad praetorium convenierant, clamitant, quod heruspicum responsa respicienda essent, sese non prius, quam mulier aut necata aut amota esset, profecturos esse. (4) itaque Colonna Thusneldam proripi iubet eamque manu sua occidit, ut, cum eam pro victima immolaret, deorum immortalium numen placaret. (5) cuius capite ad vallum castelli affixo Epaminondam, quem consilia Romanorum hostibus prodidisse suspicabatur, medio in praetorio deligari et undique vehementissime verberari iussit. (6) et, cum omnia facinora, quae commiserat, confessus esset, statim verberibus exanimatur et securi feritur. (7) cuius rei laetitia elati milites gladiis ad scuta concreperunt.

VI. (1) Eadem nocte Colonna milites cohortatus est: (2) sese subauscultavisse, quae Segestes, princeps sociorum, de Arminio dixisset, ducem Cheruscorum exercitum magnasque copias coegisse atque Hermunduris et Chattis et Sugambris persuasisse, ut auxilia mitterent. (3) Arminium gentibus Germanorum libertatis studiosissimis ad dimicandum incitatis in animo habere castella nostrorum adoriri, quae legionibus deductis praesidio carerent. (4) Arminium per mercatorem Syriacum comperisse diem, qua die Romani proficisci vellent. (5) Segestem suasisse, uti Romani usque ad illam diem, si qua ratione fieri posset, castris se tenerent, quod ni ita esset, Romanos ab Arminio facile opprimi posse. (6) ad haec Colonna addidit sese legatos animis eorum permulsis et confirmatis remisisse et cum iis una Segestem, quem sibi, quod Romanos de Arminii consiliis certiores fecisset, fidelem esse arbitraretur. (7) praeter ea Segestem pollicitum esse, ut primum domum revertisset, sese obsides daturum missurumque et auxilia et frumentum.

VII. (1) Hac oratione permoti milites, quod nunc consilio imperatoris confidebant, conclamant et suo more armis concrepant, quod facere in eo consuerunt, cuius orationem approbant: (2) summum esse Colonna ducem nec de eius fide dubitandum nec maiore ratione bellum administrari posse. (3) postero die luce prima Colonna, quod Arminius paucorum dierum iter a nostris aberat, qui vallem abditam in silva Caesia quaerere, misit. (4) deinde ante praetoriam portam fossam quindecim pedes latam eadem altitudine perducere iussit, cuius cum solum oleo completum esset, tabulatione operata est, uti pedites sine damno transirent. (5) tabulatione autem caespitibus obruta, uti terrae similis esset, nostri ad defensionem castelli reliqua apparare coeperunt in ea fossa, quae est circum castellum, solo oleo completo sudes stipitesque praeacutos defigunt. (6) Colonna, cum obsides et auxilia Germanorum, ut erat constitutum, ad eum venissent, equis Germanis detractis eorumque armis traditis eos comprehendit et in militum casas perduxit; quo facto equos legionariis militibus distribuit, uti numerum equitum Romanorum auget.

VIII. (1) Postridie eius diei Colonna, postquam unum militem auxiliorum in foveam abdidit, una cohorte, quam minime firmam ad dimicandum esse existimabat, castello praesidio relicta cum novem cohortibus quintae decimae legionis impedimentis totius exercitus in castello relictis profectus ad eam vallem, quam supra commemoravimus, pervenit omnesque peditatus copias sese ibi occultare iussit. (2) equites autem omnes, quos secum ducebat, praemisit, qui sarmenta virgultaque post se traherent et usi simulatione itineris tam placide progredierentur, ut peditatum cum iis esse crederes. (3) id enim erat consilium Colonnae, uti hac re pulvis maior, quam consuetudo ferret, in ea parte, quam in partem cohortes iter fecissent, videri posset. (4) hoc propter siccitates paludum fieri potuit, quod erat rarum illi caelo, cum in Germania, quae sub septentrionibus posita est, saepissime tempestates turbulentae essent. (5) itaque exercitum iussit usque ad septimam horam iter facere, tum virgultis remotis quam celerrime reverti. (6) reliquarum copiarum Numidas et Cretas sagittarios et funditores Baleares prope castellum in silvis instruxit virgulta-

taque prae se ferre iussit, ut, si se moverent, silva moveri videretur; (7) qua re Germanos, quorum omnis natio erat admodum dedita superstitioni, territum iri existimabat. (8) eos, quorum virtute maxime confidebat, in extremis silvis sic collocavit, uti silvae passim densissimae esse viderentur.

Thomas Fuchs

(relationis pars tertia in proximo libello sequetur)



De novis verbis Latinis

Sunt enim rebus novis nova ponenda nomina.
(Cicero, Nat. Deor. I, 17)

Omnis lingua, ut vigeat, vitae humanae mutationibus aptari debet. Nisi tempore opportuno ea praebet verba, sine quibus homo paene nihil in mundo hodierno efficere potest, serius ocium moritura est.

Illa novorum verborum creatio eo citius et facilius efficitur, quo plures adsunt locutores una et eadem lingua utentes. In linguis autem, quarum cultores sunt paucissimi et a multis lingua alia dominatrice semper et ubique utentibus quasi submersi, illa creatio difficilior est et incertior, sed, nostra tamen sententia, nullo modo impossibilis.

Tales sunt condiciones tum linguarum classicarum (e. g. Latinae, Graecae, Hebraicae, Sanscriticae) cum linguarum regionalium, quae linguis nationalibus dominatibus suffocantur.

Inde fit, ut illarum linguarum defensores, si eas vivas servare cupiunt, processum novorum verborum creandorum, qui in linguis dominantibus naturalis et paene inconsci-

videtur, voluntate ingenioque suo refovere et adjuvare debeant, imprimis normas quasdam ad hoc efficiendum excogitando.

Illam normarum necessitatem redactores Actorum Primi Latinitatis Vivae Conventus (Avennionae, 1956) ita adumbraverunt:

VOTA AD NOVA FINGENDA VERBA

I. Priusquam novum verbum ad res novas effingamus, certos nos esse oportet thesaurum vocum linguae Latinae omnino exhaustum esse.

II. Cum reapse nullum aptum verbum lingua Latina nobis suppeditet, licet recurrere ad verborum compositionem vel derivationem ex ipsa Latina lingua.

III. Nova vocabula possunt etiam a Graeco fonte hauriri.

IV. Cum haec omnia desunt, pateat via ad verbum his temporibus linguarum usu signatum, quod tamen rationi et linguae Latinae colori aptandum est (1).

Quamquam multi adsint modi alii novorum verborum excogitandorum, hic nobis satis erit brevibus animadversionibus exemplisque vota illa quattuor illustrare.

I

Problema novorum verborum creandorum saepius falsum est problema: verbum, quod creandum esse arbitramur non raro in lingua quam ditare cupimus iam exstat.

Itaque, antequam novum componamus verbum, quod fortasse monstrum esse possit, oportet, ut inspiciamus primum lexica linguae Latinae classicae, deinde lexica novorum verborum, sicut illa, quae a doctis viris BACCI (2), EGGER (3), EICHENSEER (4), MIR-CALVANO (5), vel LICOPPE (6) composita sunt.

Exempli gratia, sunt, qui stupidissime dicant lingua Latina tractari non posse de vehiculis, quae vocantur Anglice 'motor car' vel Gallice 'automobile', quia apud antiquos Romanos talia deerant vehicula. Alii autem ad illa vehicula Latine vocanda verba longiuscula excogitaverunt, sicut 'autocinetum' vel 'automataria raeda (BACCI). Haec tamen locutio apud EICHENSEER, MIR-CALVANO, LICOPPE eleganter contracta est in 'autoraeda'.

Ad plures raedae (tum antiquae cum hodiernae) partes designandas, iam exstant verba satis apta et vere Latina. Ne loquamur de rotis, quomodo designanda sunt instrumenta, quae nunc 'brake' vel 'frein' et 'accelerator' vel 'accélérateur' vocantur?

Ad primum designandum, apud BACCI et alios, duo verba invenimus: 'sufflamen', quod profecto designat soleam quandam ligneam, quae rotam inhibet, et 'frenum', quod multis in linguis hunc apparatus designat, qui, olim, equi impetum temperabat et, nunc, autoraedae rotas 'frenat'!

Mea quidem sententia primum vocabulum vitandum est, quia dubiam etymologiam subicit: 'sufflamen' vero nihil 'sufflat'...nisi nititur systemate pneumatico, quod 'Westinghouse' est vocatum. 'Frenum' autem, etiamsi functionem inhibitoriam potius quam instrumentum materiale ipsum metaphorice designat, brevius et facilius est, atque ita convenientius videtur.

Pro altera designatione nihil invenimus in BACCI, in EICHENSEER: 'pedale gasi (accelerationis)', in MIR-CALVANO: 'pedale accelerationis', et in LICOPPE: 'acceleratum'. Quae ultima vox optima videtur, sed ad secundam classem, quam infra videbimus, pertinet. Si autem lingua sola classica uti cupimus, adest alia solutio: ut 'frenum' instrumentum inhibitorium metaphorice designat, sic 'stimulus' vel 'calcar' instrumentum acceleratorium, si id cupimus, designare potest.

II

Verba nova ex elementis perfecte Latinis compositione vel derivatione excogitari possunt.

Exempli gratia Romani antiqui ex adiectivo 'celer' verba 'celerare' et 'accelerare' composuerunt. Si in eadem via pergere licet, addito suffixo vere Latino '-trum', quod instrumentum designat, ad verbi actionem afficiendam aptum, derivatione obtinetur 'acceleratum', quod supra citavimus. Alterum exemplum: Angli follis ludum quendam vocaverunt 'football' et hoc nomen, vel minimis cum mutationibus, a multis linguis mutuatum est. Cum 'foot' designat 'pedem' et 'ball' 'follem', facile componitur verbum Latinum 'pedifolium' (EICHENSEER; MIR-CALVANO, LICOPPE).

Illa novorum verborum compositio vel derivatio in omnibus

linguis frequentissima est. Itaque ei, qui id Latine fieri non posse contendunt, nisi sunt inconscii, mentiuntur!

III

Multis in linguis verborum scientificorum vel technicorum maxima pars e fontibus Graecis vel Graeco-Latinis hausta est. Cum Latina morphologia Graecae sit similis, haec nova verba sine ulla difficultate reddi possunt.

Exempla: verbum Graecum 'anabathron' (i. e. 'lift' vel 'ascenseur') Latine fit 'anabathrum'.

'Leophoron' (i. e. 'bus' vel 'autocar') fit 'leophorum'. Verbi hodierni 'bureaucrat' vel 'bureaucrate' pars finalis Graeca est origine. Cum pars eius initialis (incertae originis) verbo Graeco 'grapheion' (i. e. instrumentum ad scripturam aptum) evocari possit, verbum illud tum Graece cum Latine eleganter fit 'grapheocrates' (LICOPPE).

'Neologism' vel 'néologisme' origine est omnino Graecum, itaque Latine etiam 'neologismus' dici potest. Attamen, si hic de 'neologismis' disserere possumus, cum 'neos' Latine est 'novus' et 'logos' idem est ac 'verbum', de 'novis verbis' Latinis disputare maluimus.

Nec in his constructionibus lingua Neograeca est spernenda. Nisi erro verba 'anabathron' et 'leophoron' supra citata, quamquam compositione videntur classica, lingua Neograeca quoque sunt usurpata. Multaque alia verba nova in lexicis Neograecis inveniri possunt, quae tamen prudenter eligenda sunt.

E. g., ad notionem 'train' exprimendam, lexica Neograeca praebent 'hamaxostichon', quod BACCI et alii Latine scripserunt 'hamaxostichum'. Sed hoc verbo sesquipedali Graeci hodierni minime utuntur: malunt usurpare verbum brevius 'treno'. Inde fit, ut pro 'train' multo melius conveniat: 'tramen', gen. 'traminis' (neutro genere) (EICHENSEER, MIR-CALVANO, LICOPPE). Facilius enim ab omnibus intellegitur quia, sicut verbum quasi universale 'train/treno' originem ducit a verbo 'trahere'.

Ut lingua Neograeca, sic linguae Romanicae, et praecipue lingua Italica, verba nova praebent, quae vel minima cum adaptatione, facillime Latina fieri possunt.

E. g. 'handle bar (of a bicycle)' vel 'guidon', quod Italice dicitur 'manubrio', suggerit verbum Latinum 'manu-

brium' (EICHENSEER; MIR-CALVANO) (Profecto, hoc verbum est classicum, et partem aratri designat: inde fit, ut per illam normam ad primam reducti sumus!)

'To change (money)' vel 'changer' (cum de pecunia agitur) tum Latine cum Italice dicitur 'cambiare'. (N.B. Is neologismus infimae est Latinitatis et origine dicitur Celticus).

IV

Cum res quaedam nova cum linguae Latinae thesauro perdifficile aut nullo modo Latine coniungi posse videtur, licet tandem verbum a lingua, qua res illa saepissime designata est, mutuari, et id quodammodo ad linguam Latinam aptare. En pauca exempla:

1° Verborum, quae facile Latine declinari possunt:

'Button' vel 'bouton' - 'boto', gen. 'botonis' (MIR-CALVO, LICOPPE).

'Bell' vel 'cloche' (vet. ling. germ. 'glocka') - 'clocca', gen. 'gloccae' (LICOPPE). N.B. Qui neologismus saeculo VII° p. c. iam adtestatus est.

'Radar' (i. e. Anglice: 'Radio Detecting And Ranging') eleganter dici potest 'radarium' (MIR-CALVANO) vel etiam simplicius 'radar', gen. 'radaris' (neutro genere).

2° Verborum, quae a declinatione Latina abhorrent, quorum tamen forma servari potest, dum eorum munus e contextu dilucide patet:

Satellites artefactus, qui Russice 'sputnik' dicitur.

Idioma commenticium a J. N. Scleyer excogitatum et 'volapük' vocatum.

CONCLUSIO BREVISSIMA

Si problema novorum verborum fingendorum sincero corde inspicere cupimus, eius difficultatem non in novis vocabulis inveniendis inesse, sed in optimis eligendis e multitudine formarum, quae oculis nostris incurrunt, intellegere debemus.

Attamen, omnibus in linguis, pro unaquaque notione, vocabulum, quod videtur optimum eligere non sufficit. Ante omnia oportet illud usu consecrare.

Lingua enim viva non est doctorum sine fine taediosa disputatio, sed pactio socialis, quae rebus practicis maxime nititur et semper est renovanda. Itaque non mentiuntur proverbialia:

USUS EST OPTIMUS MAGISTER

et

VOX POPULI, VOX DEI !

Clemens Desessard

ADNOTATIONES:

1. PREMIER CONGRES INTERNACTIONAL POUR LE LATIN VIVANT, p. 165. Edidit EDOUARD AUBANEL, Avennionne, 1956.
2. ANTONII BACCI, LEXICON EORUM VOCABULORUM QUAE DIFFICILIS LATINE REDDUNTUR. Societas Libraria Studium ex Officina typ. Vaticana edidit a. MDCCCCLV.
3. CAROLI EGGER, LEXICON NOMINUM LOCORUM. Officina Libraria Vaticana edidit (1977).
4. C. EICHENSEER, LATINITAS VIVA, Pars Lexicalis. Ed. Societas Latina, Universität FB 6.3. D-6600 Saarbrücken 11.
5. J. MIR - C. CALVANO, NUOVO VOCABOLARIO DELLA LINGUA LATINA, Ed. MONDADORI - ELI. Mediolani, 1986.
6. G. LICOPPE, MELISSAE LEXICON MINUS LATINITATIS MODERNAE. Ed. Fundatio Melissa, Bruxellis 1988.



ERRATA



in Rumoris Varii fasciculo	in pagina	falso impressum est	forma recta imprimi debuit
2/90	34/35	sanctificare	canonizare
1/91	13	supra	infra

Aenigma

1	2	3	4	5
2				
3				
4				
5				

1. vis divina
2. mammae
3. carpet
4. regnum umbrarum (Dat.)
5. iubar vel splendor

De aenigmate magno in libello 5+6/90 publicato

Huius aenigmatis adhuc unam tantum solutionem accepimus. Videtur amicas et amicos aenigmata solventes propter editionem tardiozem libelli 5+6/90 dubitavisse de die ultima solutionum nobis mittendarum. Itaque, ut satis temporis sit ad solutiones mittendas, novam diem ultimam statuimus: Est **KALENDIS IULIIS!** Speramus nos usque ad illam diem plures solutiones eius aenigmatis accepturos esse!



A Fabienne

Merci, Fabienne, pour ce que tu me fis:
tes mains m'ont aidé, caressé, guéri
comme une mère fait avec son fils des fois,
doucelement, quand elle le caresse des doigts.

Elle touche son cou et même le haut des jambes,
mais pas trop près, car elle a peur qu'il flambe,
et, après, ses mains descendent jusqu'à ses pieds
tout en ôtant au fils bien des secrets.

Dans ses doigts légers, fuselés et mous
il est plongé aux vagues de la mer:
oui, les remèdes sont très souvent amers
mais celui-ci est, plus qu'une pêche, doux.

Mes jambes furent guéries après deux mois
par des mains bien plus lisses que le velours,
mon esprit les gardera en lui toujours
ces mains si douces, doux remède pour moi.

Ad Fabianam


En grates tibi ago, Fabiana, mihi quia multa
egisti: sanasti, mulsisti manibus me,
sicut mater agit cum nato et dulciter adstat
cum digitis et palmis mulcet leniter illum.

Nati cervices attingit summaque crura
non nimium prope cum metuat sic ne ardeat ille.
Et mater posthac manibus lente usque pedes it
et sic nato res arcanas eripit omnes.

Subtilesque leves fusi forma digiti eius
vere illum mergunt quasi fluctibus undae
et sic es ut saepe medelae sint peramarae,
contra dulcior haec quam persica fit medicina.

En sanata duos post menses crura mihi nunc
sunt manibus, quae leviores quam serica blanda
sunt multo et quas servabit sibi mens mea semper
grata: manus molles et tam dulcem medicinam.

Iohannes Granata, Italus, scripsit anno 1991°
(Metrorum ratio: versus Vergiliani)



Clamor ingens seu infernalis

Musici in fossa suggestus symphonicorum (1) ante pulpitem proscaenii sedentes non solum semel, sed iterum identidem-que (super)onerationi sonitus (2) expositi sunt, quae sonitum tonitruum fere similem adaequat aeroplani avolantis. Mensionibus multiplicibus sonitus in Theatro Musico Berolini in urbe occidentali sito a professore Universitatis Liberae Berolinensis Gustavo Scaeccio (vulgo Theodisce: Schaeck), doctore medicinae medicoque speciali medicinae industrialis perito tandem peractis pagellam soni (3) atque adeo usque ad CXXX decibelia (4) ascendentem constat certumque exploratumque est. Sed iam strepitus ab LXXXV decibelibus fontem esse possunt damnorum irreparabilium organorum auditus. Nonnulli autem symphonicorum Theatri Musici Berolinensis iam laborant ex auditus diminutione, praeter ceteros tintinnabulatores (5), aenatores (6) atque violonistae (7).

1 fossa suggestus symphonicorum	Orchestergraben
2 (super)oneratio sonitus	Schall(über)belastung
3 pagella soni	Schallpegel
4 decibel,-is n.	Dezibel (dB), Masseinheit für die Dämpfung. 1 Bel = 10 Dezibel; benannt zu Ehren des schottischen Physikers Alexander Graham Bell (1847-1922).
5 tintinnabulator,-oris	Schlagzeuger
6 aenator,-oris	Bläser
7 violonista,-ae m.	Geiger

AMICUS



De sacello 'Jonental'

Filius noster minimus nomine Johann, quamquam fide evangelica est educatus, puellam catholicam uxorem ducturus est, oriundam ex New Orléans, quae est civitas sita in Rebus Publicis Americanis. Americani numero ad quinquaginta, qui nuptiis aderunt, cupiunt tandem videre Monasterium Ein-

siedelense, quod adhuc illis non nisi fama est notum, nosque, ut illis gaudium hoc afferamus, nuptias filii nostri eiusque sponsae in illo monasterio celebrare in animo habemus. Itaque nuper autocineta usi iter fecimus ad monasterium Einsiedelense inspecturi loca et condiciones, percontationibus reperturi etiam, num Johann noster eiusque sponsa in illa aede sacra nuptias celebrare possint.

Fieri posse nobis affirmatum est, at postea sacellum (Kapelle) monasterii nobis non satis convenit et postquam monasterium reliquimus et thermopolium quoddam intravimus, sodalis quidam Johannes casu nobis obviam venit, qui, certior factus Johannem nuptias paraturum esse, alteri sacello nomine Jonental flagrabat, sito inter Bremgarten et Ottenbach, quod pulcherrimum esset, occultum in infima silva prope rivum "Jonen". Tum nobis persuasum erat operae pretium esse illuc ire, ut sciscitaremur, num fieri posset. Diu quaesivimus circumerrantes. Tandem ad parvam silvam advenimus, ubi autocinetam deposuimus, ut tramitem arduum per silvam descenderemus decem sexagesimas partes horae (10 Minuten) usque ad sacellum ad ripam rivi "Jonen" in infima parte silvae situm. Quae silva tam fabulosa nobis apparuit, ut silvas e fabulis Germanicis nobis in memoriam duceret, et rivus "Jonen" variis flexibus suaviter murmurans, altis abietibus tectus, per silvam fluit. Sacellum autem cum nobis omnibus eximie placeret satisque spatiosum videretur, ut hospites, ad centum homines, qui nuptiis adfuturi essent, una cum nobis in sacello considerare possent, filius noster eiusque sponsa domum aeditui (Küster) intraverunt communicatum sibi esse propositum nuptias facere in illo sacello seque constituisse diem tertium nonas Sextiles anni currentis. Hora fere post e domo aeditui provenerunt alacriter nos docentes rem esse transactam.

Postea coniunx mea egoque colloquium habuimus cum aedituo, qui nobis communicavit sacellum anno MDCCXXXV exstructum et anno MDCCXLII consecratum esse, et iucunde confabulans de origine sacelli sacram fabulam narravit hanc:

"Fuit olim pastor caprarum satis simplex, qui in pratis finitimis et prope locum, ubi hodie sacellum stat, capras pascebat. Aliquando una caprarum a grege aberraverat et pastor eam quaerebat anxius in virgultis (Gebüsch) proximis, donec advenit ad rupem praeruptam, quam descendit, dum

stat ad ripam rivi. Huc etiam capra erraverat, ut ex eius vestigiis pastor cognovisset, et quamvis ex alta rupe dececidisset, tamen vulnerata non erat et placide in dumetis pascebatur. Pastor laetissimus, quod capram reperisset, reverti volebat ad gregem suum, sed non procul musicam suavem sibi videbatur audire, et mirum in modum, ita ut numquam antea expertus esset, ab illa musica se attrahi sentiebat. Itaque festinanter et alacriter per virgulta progrediebatur. Atqui illa musica lenius leniusque sonabat et denique sonare cessit. Quam ob rem pastor tristis factus est. Namque per totam vitam sibi videbatur libentissime eam musicam auditorus fuisse. Quin etiam eam audiens cibum sumere obliturus fuisse. Quapropter ad locum, unde venerat, reverti voluit, sed vix fecerat paucos passus, cum denuo suaves sonos musicae audivit et choros angelorum prope esse putavit. Nihiliam timens passus suos direxit in locum, unde soni veniebant, ut sonis aures praeberet. Tandem consedit oblitus gregis et reditus sui in lapide muscoso (moosig) prope rivum et pie auscultabat sonos musicae. Postremo somno oppressus est et in somnio videbat se ipsum in aedicula sacra, cuius in media parte stabat mater virginea splendore caelesti circumdata. Pastor quoque pio corde preces faciebat. Mox mater dei in media multitudine versans eum solum videbatur spectare et cum eo colloqui velle. Tum autem omnia evanuerunt et pastor somno excitatus est. Aves circum alacriter cantabant, ad eius latum capella mutiebat (meckern), quae pastorem non deseruerat, solque matutinus laete fulgebat per abietes. Puer territus oculos sibi fricabat et abiturus erat, cum prope se in terra vidit simulacrum matris gratia plenae, et cum diligentius id spectaret, videbatur sibi cognovisse idem simulacrum, quod in somnio vidisset, neque spectandi eum taedebat et angelos circum se volare putabat. Tum miro portento totus occupatur. Advenerunt pastores, qui eum anxii quaesivissent. Namque grex vesperi sine pastore reversus erat. Pastores, quibus narravit, quid vidisset audivissetque, puerum ad parentes eius duxerunt, qui eum anxii item expectaverant. Fama eius rei mirae omnem regionem pervagata est et Christiani illius temporis signum e caelo missum putabant nuntians sanctissimam virginem eodem loco coli velle. Itaque statim aediculam sacram in

honorem matris sanctissimae eo loco aedificare coeperunt, quo puer simulacrum vidisset."

Emanuel Bernard



MYTHI HELVETICI

De quadam Terraemotus vaticinatione

Omnium arcium, quae medio aevo circum Basileam urbem sitae erant, Pfeffinga (Theodisce: Pfeffingen) longe maxima erat. Quae fuit sedes virorum nobilium ex stirpe Thiersteniensium oriundorum, qui erant comites palatini (1) episcopi Basiliensis.

Die sancti Lucae evangelistae anno 1356° Wallraffius comes una cum amico, viro nobili Ursirupensi sive Baerenfelsensi, arce relicta parumper equitavit, ut amicum Basileam petentem comitaretur. Ursirupensis enim nonnullos dies iucundissimos in arce Pfeffinga peregerat et "Talibus temporibus optimis", exclamavit, "totam per vitam fruar velim! Re vera, amice mi, censeo te esse hominem toto in orbe beatissimum!" - "Cur hoc censes?" ille ridens respondit.

"Wallraffi mi, tibi sunt bona deliciosissima, quae mortali praeberi possunt: Uxorem duxisti pulcherrimam et mente et specie, stirpe nobili oriundam, quae tibi paucis septimanis ante filium lepidum ac prolem gloriosam peperit. Tibi est arx longe firmissima regionis nostrae, etiam magna hominum rurisque copia, reditus (2) immanes patronique potentissimi. In stabulo tuo equi nitidissimi et canes cavendissimi aluntur. Ab incunabulis (3) fortuna mulcebaris, numquam sors mala te pressit."

Ad quae Wallraffius: "Verum quidem loqueris; attamen unum bonorum carissimorum, quibus gloriari mihi licet, nondum memorasti: Mihi est praeterea amicus fidelis. Tu enim, Ursirupensis mi. Tibi vitam, honorem et, quae habeo, sine ullo dubio confiderem."

Quaecumque locuti erant, ea audiverat sacerdos quidam post equites eodem itinere utens. Qui comiter utrumque salutans equitando perrexit magna voce suspirans: "Eheu, quam fragilis fortuna! Haud raro rerum adversarum porta est!"

Comes autem Thiersteniensis his verbis receptis dei servum ira exardescens adfatus est: "Quid colloquium nostrum ad te? Aliis prophetizes malim! Num, quandocumque avicula quaelibet laeta canit in ramis, corvo alicui crociendum (4) est?" - "Gratias modo agite corvo monenti", sacerdos mitis respondit. "Sed, eheu, de orbe actum est; circumfunditur vana superbia et modestiae valedixit. Magnus est numerus eorum, qui rerum divinarum obliti convivii poculisque se dant! Immo senes, qui vulgo ceteris sapientiores habentur, non pudet in itineribus suscipiundis vanas amoris blanditias quaerere uxoribus fidis domi relictis ac deceptis!" Tunc Ursirupensis: "Pro tormentum! (5)", iratus exclamavit. "Num de nobis blateras?" His vix dictis canes in sacerdotis caballum irruerunt iussit, quae bestia misera perterrita tantopere altum petivit, ut vir spiritualis frenis manibus elapsis humum decideret. Quem Ursirupensis verbis illudit his: "O sacerdotule, homiliis paenitentiarum (6) tuis in futurum parce, donec loco recto sis, quo loqui tibi liceat. Quod tibi accidit, tibi ipsi sit paenitentiis. Cum autem alacriter de paenitentiis verba facias, en, age, fac eas pedibus sicuti Iesus Christus, dominus noster, neu equita caballo isto!" Sacerdos, qui interea resurrexerat, ad equitem clamavit: "Deo concedo, quomodo ignominiam, qua affectus est servus eius, ulciscatur. Tu autem, eques superbe, memento verborum meorum! Sors gravissima nobis instat omnibus!" Equites vero verba sacerdotis minantia vix curabant, immo colloquium laetum continuabant, donec venirent ad crucem lapideam. Ibi familiariter invicem valedixerunt, Wallraffius autem comes submisso animo arcem suam petivit. Ex eo enim tempore, quo ab amico secesserat, mirum in modum pavore quodam imbuebatur. Cum perveniret ad eum locum, quo cum sacerdote dimicaverant, animo voluit, num ab illo veniam peteret. At cum is inveniri non posset, comes iter perrexit opprobriis in se non abstinens. Aër gravis atque fervidus erat factus. Timidae aves circumvolabant, quam si falcones eas venarentur. Eques equum instigavit, sed nullo modo eius velocitatem augere potuit. Ne canes quidem abs timore erant, quam si periculum maximum instaret. Cum autem Wallraffius Thymallium (Theodisce: Aesch) in vicum perveniret, incolae sive in agris sive in

vici viis circumsteterunt timide caelum observantes. Comitibus occurrentes quaesitarunt, quid hoc sibi vellet, quod ventus tam fervidus e montibus flaret et bestiae domesticae tam mirabiliter se gererent. In aulis enim gallinarum gallinae strepitantes volitabant, columbae columbaria simul et petebant et vitabant, boves mugientes prata pervastabant. "Quid hoc sibi velit", eques respondit, "tantummodo Deus scit. Equidem autem puto miseriam eximiam nobis instaturam!" Equus tunc quasi frondes tremuit, ille vero eum vehementer instigavit, ut quam celerrime domi esset. In arcis aula comitissa puerulum brachiis ferens ac suspirans ei obviam iit loquens: "Quid, carissime mi, mali nobis instabit? Puer quiete et somno abstinet neque subridet in te, qualis est mos ei, dum te videat." - "Eheu, corculum meum, quid mali emergatur, modo deo notum est. Timeo autem, ne ululatus ac miseria magna immineant." Comitissa cubiculum petivit et infante incunabulis deposito humum se prostravit, ut oraret, dum Wallraffius per arcem errat mox alta de turri in vallem prospiciens, mox rediens in oecum maximum. Tenebrae iam ortae erant. Horribiliter campana sonuit fideles ad vespereas (7) vocatura. Tunc ex improvise ima e terra strepitus obtusus auditur. Arcis trabes lignae strident et crepant, solum concutitur, parietes collabunt videntur. Ter ictus ille ingens repetitur, arx attamen non corrui. Sequitur silentium dirum. Dominus servique supplices ad Deum orant, ut sibi parcat. Mundi consummatio adesse videtur. Foris nihil iam auribus percipitur. Ne minima arborum frondula quidem vento movetur. Iam homines sperant rem horribilissimam praeteriisse. At puerulus somno non indulget, sed flendo pergat, etsi nox iam sera facta est. Ex aula bestiarum mugitus iterum auditur. Timoris pleni servi accurrunt clamantes: "Signa atrocia repetuntur: Boves laqueos, quibus alligati sunt, disscindere conantur, equi pedibus terram percutiunt se liberandi causa, canes terribilius quam antea latrant, falcones carne apposito vesci recusant. Corvi immo de turri crociunt (4)."

Pessima iam exspectantur. En, hora decima vespertina terra iterum tonans tremere incipit. Muri crepitantes collabuntur, tegulae de tecto decidunt, procella e nihilo fere

exorta, quam si omnia dispegere vellet, saevit. Nunc ipsae turres satis valide confirmatae munimentaue fortiora quasi domus chartaceae corruunt. Has inter vastationes servi "Pro Iesus et Maria!" clamant, "comitissae cubiculum collabitur! En, ea ipsa inest cum infante!"

Wallraffius comes cum haec audiverit, auxilium clamans de monte properat servos iubens faces accensas afferri. Qui frustra rogant, ut in aula maneat ipsiusque vitae parcat. Ruinae decedentes non impediunt, quominus, quod sibi sit carissimum, servet. Attamen frustra eques noctem tenebrosam petit. Quis enim inter tot tantosque lapides aliquid invenerit?

Decies terrae ictus hac nocte iterantur, decies novae decidunt ruinae, decies cor comitis quasi gladio acuto perfoditur, ut tandem spem uxoris filioliue revidendorum praetermittat. Undique eidem nuntii mali confluunt. Ubique eadem regnat miseria, audiuntur desperantium clamores vulneratorumque, multae auxilium rogant campanulae, priusquam abrupte obmutescant. Quin etiam Basilea ex urbe crepitari auditur. Fumi nubes crassae circum urbem coacervantur, caelum totam per noctem horribili quodam modo derubatur.

Tandem aurora apparuit, qua rerum adversarum magnitudo clarius detexit quam ipsa nox. Ex arcis ruinis Wallraffius comes cum servis in vallem descendit, ut inter murorum reliquias lapidesque modo erratico huc et illuc dispersos uxorem filiolumque quaesitarent. Et factum est, quod nemo sperare ausus erat: Media inter rudera ingentia Wallraffius filioli incunabula invenit integra neque damnis tacta ipsumque salvum atque pacifice dormientem. Comitissa autem per aliquot dies frustra quasitabatur. Inter ruinarum acervos diem obierat ultimum.

Wallraffii gaudium pueri, quem perditum iam putaverat, iterum repperti valde minutum est. Pernicies enim uxoris amatae eum prostravit. Unaquaque fere hora novi nuntii mali ei allati sunt. Ubi nunc erat arx eius fortissima? Ubi erant eius villae rusticae, ubi equi, ubi canes, ubi falcones? Haec omnia praeterierant una sola nocte. Etiam patroni ei dira ista hora abrepti erant. Quid autem Ursirupensi amico, cui fidem habebat maximam, acciderat? Vae illi, qui iacuit ruinis Basileae urbis obrutus! Cum rus aufugere voluisset atque per Sancti Petri viam festinasset,

ecce moenia corruerant et fugientem labentia obtexerant. Sic Wallraffii fortuna uno solo ictu mutata est.

Arx quidem a fundamento redintegrata est. Boni vero dies non reverterunt, animus Wallraffii fractus est. Quotannis die Sancti Lucae evangelistae una cum civibus Basiliensibus cana paenitentium veste indutus ecclesiam cathedralem adibat, ut meminisset magnae illius calamitatis. Commemoratione autem confecta Viam Mortuorum (8) petebat, ut pontem Sancti Petri quaereret. Ibi enim pro amici lapidibus icti anima preces fundebat.

Etiam senectutis dies obscurabatur. Triginta annis post terraemotum filius eius unicus, eques fortis atque iuventute florens, una cum multis viris nobiles prope Sempacum (9) vicum a Confoederatis occisus est. Nunc comes solus in arce suo sedebat, conviviis festisque abstinens atque meditando illas tabulas, quibus oeci maximi parietes ornari iusserat. Tunc adspiciebat arcem collabentem, filiolum ab angelo custode in vallem delatum, terraemotum atque Basileae incendium nec non amicum per ruinas et corpora fugientem, sed nihilominus moenibus corruentibus contusum, in auris autem tenebrosis angelum volitantem et taeniam manu tenentem, qua inscripta erant verba sacerdotis illusi: "Fortuna fragilis neque raro rerum adversarum porta!"

Martin Meier

1 comes palatinus, -itis -i	Pfalzgraf
comes, -itis m	Graf
comitissa, -ae f	Gräfin
2 reditus, -us m	Einkommen
3 incunabula, -orum n	Wiege
4 crocire 4	krächzen
5 pro tormentum!	potz Marter!
6 paenitentiae, -arum f	Busse
7 vesperae, -arum f	Vesper
8 Via Mortuorum	Totengasse
9 Sempacum, -i n	Sempach (ibi fuit magna pugna anno 1386°)



**SEMINARIA «LATINITATIS VIVAE» ANNO 1990^o FVTVRA
MORSACENSE ET VESTENDENSE**

51. Morsācī [Morschach] in Helvētiā, qui locus saluberrimus ali-
quibus centum quinquaginta metris supra lacum «Quattuor Pago-
rum» situs est, unde montium clivi bene accessibiles sunt
maximeque mirabilis prospectus ad lacum ipsum et ad montes
circumiacentes praebet. 14.-20.7.1991.

52. Vestendēse [Westende] in Belgicā (ad litus maris harenōsum),
ubi pernoctatio vīctusque in hospitio communi, relative par-
vo constant: 9.-16.8.1991.

Sunt autem seminaria sermonis Latini et adhibendi et exercendi
et ampliandi, quae institutio quaeve exercitationes bonā Latini-
tate antiqūa nituntur et neologismis, quantum necessarium fuerit,
optime comprobatis (secundum antiquitatis normas vere Latinas).
His seminariis Dr P. C. Eichenseer denuo moderabitur.

Antemeridianis horis (ternis) fient colloquiorum exercitationes
et explicationes verborum (recentiorum) et modorum Latine cogi-
tandi et disceptationes. Disseretur etiam, quā ratione Latinita-
ti bene conveniente, antiqua recentioraque satis congruenter in-
ter se coniungantur resque recentissimae satis Latine verbis
(circumspecte cōdītis vel condendis) exprimantur quidve valeat
anālōgiā.

Postmeridianis horis (binis) fient exercitationes grammaticales
et repetitiones materiarum ante meridiem propositarum vel occa-
siones praebentur propositionum et disputationum vel exercitio-
rum Latine docendi, quae res agetur etiam in circulis minoribus
(diversis), ubi singulis frequentior occasio sit Latine loquendi.

Denique cottidie ab hōrā duodēvīcēsīmā, id est: post institutio-
nem postmeridianam, per quadrantem horae phōnētīcē Latina tractā-
bitur, cuius tractationis participatio omnino libera est.

Denique pro ipsa institutione unius septimanae 120 marcae Germa-
nicae solvendae sunt, quae pecuniae summa mitta-
tur ad hanc sedem nummariam: VOX LATINA
18353-661
Postgiroamt Saarbrücken
BLZ 590 100 66 (BR Deutschland)

Mōrsācēnsē seminarium Helveticum qui participaturi sunt, mittant
epistulas chartulasque interrogatorias nominaque dent definitive,
si tardissime, sex septimanis ante initium,
ad Ericam Roth

Aeschistr. 6
CH-3110 Münsingen

(numeris telephonicus:
031/721 08 23

Vēstēndēnsē seminarium Belgicum qui volunt participare ratione
epistulari vel telephonicā adeant satis mature

D.rem Gaium Licoppe Bruxellensem:
M. Docteur Guy Licoppe

Avenue de Tervueren, 76
B-1040 Bruxelles 4

(numeris telephonicus:
(02) 735 04 08)

SOCIETAS LATINA

SVBNOTO RVMOREM VARIVM
(Ich abonniere RVMOR VARIVS)

SVBNOTO RVMOREM VARIVM DONO
DATVM ALICVI
Factura subnotationis mitten-
da est ad adressam infra
stantem.
(Ich abonniere RVMOR VARIVS für
mit Rechnung an:)

RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach

8050 Zürich

Datum und Unterschrift


AZB

8050 Zürich

2/91

IDIBVS MAIIS

MCMXCI



RVMOR VARIVS



TOMVS 14

FASC. 87